Primo adnumeratur Helvidius, qui contra Deiparæ Virginitatem insaniens, illam quoque Josephi perturbare conatus est. Asserens enim, Sanctissimam Virginem, post Christi Domini nativitatem, alios filios ex Josepho suscepisse, hoc ipso, Deiparæ, & Josephi virginitatem impie denegavit. Contra Helvidium acerrime, atque invicte S. Hieronymus pugnavit, ut in sequentibus videbimus. Helvidio adhæsit Jovinianus, ut refert Augustinus in lib. de hæresibus in Joviniano. Post Jovinianum, tandem docuit insaniam Episcopus quidam, nomine Bonosus, & contra ipsum luculentam, ac elegantem scripsit epistolam Siricius, Pontifex Romanus ad Theophilum Alexandrinum, & Anysium, Thessalonicensem Episcopum, quæ a quibusdam S. Ambrosio tribuitur. Postmodum fuerunt in Hispania nonnulli seculo septimo, qui hoc idem delirium amplexi sunt, & contra ipsos invicte pugnavit S. Hildephonsus, Episcopus Toletanus. Denique circa nostrorum Patrum tempora, Calviniani ministri fere omnes Helvidii blasphemiam dixerunt, probabilem esse sententiam, & fidei minime repugnantem; eo quod non refellatur aliquo Scripturæ testimonio, quod apertum, & manifestum videatur, ut refert Serry exercitat. 40.

Secundo ponitur S. Epiphanius hæres 78. dicitur, quod dixerit, S. Josephum, quando Mariam Virginem duxit in uxorem, fuisse viduum, & ex alia uxore plures filios suscepisse, qui, Christo Domino vivente, adhuc superstites erant. Hunc non tantum errorem Hieronymus in cap. 13. Matthæi, verum quoque appellat delirium, dicens: *Quidam suspicant sequentes deliramenta Apocryphorum, Fratres Domini de alia uxore Joseph filios fuisse.* Et S. Thomas aperte errorem nominavit in cap. 2. Joannis sect. 2. *Cavendi sunt duo errores, scilicet Helvidii dicentis, quod B. Virgo post Christum alios filios habuit, & hos dicit Fratres Domini, quod est hæreticum. Item error quorundam dicentium, Joseph ex alia conjuge filios genuisse, & hos vocari fratres Domini, quod Ecclesia non tenet; & ideo Hieronymus eos improbat.* Verum vindicatur ab hujusmodi erroris suspicione Epiphanius a pluribus, & præcipue a Toleto in cap. 1. Lucæ, qui putat, Hæreticos delirium illud in Epiphanii operibus inseruisse; quod & probat ex eo, quia Epiphanius dixit, Christum Dominum in cruce matrem suam Joanni commendasse, quia Joannes erat Virgo. Si ergo Christus ex Epiphanio filium Virginem Matri suæ dedit, quare credendum erit ex eodem Epiphanio, sponsum pariter Virginem ei non dedisse? Videatur Hieronymus Gratianus de excellentiis S. Joseph lib. 4. cap. 2., & Cancellottus in Annis Marianis, anno Virginis 39. num. 8.

Tertio Tertullianus lib. de Monogamia scripsit, quod post nativitatem Christi Domini Maria Virgo conjugale debitum solvit utique B. Joseph. Unde consequenter putavit, B. Joseph Virginem non fuisse. Verum quando hæc scribebat Tertullianus jam factus erat hæreticus montanista; quapropter Helvidio ejus testimonium adducenti Hieronymus lib. contra Helvidium cap. 9. sic respondebat: *De Tertulliano nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse. Subsequens error detraxit scriptis probabilibus authoritatem.*

Quarto S. Basilius traducitur a Casaubono heterodoxo, quod Helvidio subscripserit, quando homil. 25. de humana Christi generatione docuit, *nihil pietati doctrinæ officere*, si dicatur, B. Virginem post Christum Dominum, filios alios peperisse. At testatur Serry, nihil tale scripsisse S. Doctorem; sed tantum, quod interpretando Isaiæ vaticinium: *Ecce Virgo concipiet*: dixit, quod per hoc enunciatur tantum partus Virgineus, sed non dicitur unigenitus. Et ut pluris est, subdit S. Basilius: *Aures hominum Christi amantium, non sustinent hoc audire, quod Dei Genitrix aliquando Virgo esse desierit.* Ex quibus clare patet, B. Virginem, post Christum Jesum, nunquam alios genuisse filios, ac per consequens, semper Virginem cum Virgineo Sponso Josepho, permansisse.

Quinto adducitur Gregorius Nyssenus, vel ut aliis placet, Hesichius, presbyter hierosolymitanus orat. 2. de resurrect., Eusebius lib. 2. hist. Ecclesiast. cap. 1. Nicephorus lib. 2. hist. cap. 3. Theophilactus, Chrysostomus homil. 5. in Matth., aliique Græci Scriptores, qui dixerunt, B. Joseph filios alios, non ex Deipara Virgine, sed ex priori uxore, antequam Deiparæ jungeretur, suscepisse. Ex his aliqui excusantur a Scriptoribus nostris, asserentibus pariter, quod Hærerici in ipsorum operibus has nugas inseruerunt. Verum præter hoc excusari quoque possunt, si dicatur, quod contrarium non est ab Ecclesia definitum, quanvis illud

Eccl:-